



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XV. Agnus Paschalis, item matutinus & vespertinus typus fuit
Christi Jesu crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XV.

Agnus Paschalis, item Matutinus & Vespertinus typus fuit Christi Jesu crucifixi.

*In libro vite Agni, qui occisus est ab origine mundi.
Apoc 13. 8.*

1.

Cum DEUS T. O. M. Hebræos diu sub gravissimo Ægyptiorum jugo pressos, tandem à servitute statuisset redimere, eosque in optatam asserere libertatem, voluit, ut prius ante egressum ex Ægypto universa multitudo in Israël pro tempore Paschali in plenilunio Agnum quemdam immaculatum sibi immolaret: *Tollat unusquisque agnum per familias -- Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Exod. 12. 3. cujus sanguine cuncti patres-familias postes domorum suarum & superliminare sui ostii, prout bene observat S. Cyprianus, in formam crucis aspergebant, ne Angelus vastator pertranliens, & primogenita Ægyptiorum percutiens, S. Cyprianus l. 2. testimonio contra Judæos c. 22. Hebræis noceret, & ut insuper typum haberent divini illius Agni, per cujus sanguinem à servitute diabolica & à morte perpetua suo tempore essent redimendi: *Erit autem vobis sanguis in signum in aedibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.*

2. Modus autem, quo hunc agnum immolabant Hebræi, erat iste: Imprimis quærebatur agnus integer absque ulla macula, scabie, vitio aut morbo, idemque masculus, quia hic præstantior samellâ est, qui agnus debebat esse anniculus, vel agens annum unum, dum per hoc spatium agni ad perfectam ætatem adolefcunt; Recipiebatur verò quatuor diebus ante immolationem à patrefamilias in domum, ut ex frequenti aspectu, ait hic Rupertus Abbas, occasionem haberent, inter se sermone de redemptione sua ex Ægypto. Exinde ferto viridi in collo ornabatur, ac sollicitè ab omni etiam levissima macula abluabatur; demum

mum die destinata circa vesperam, cum sol ad occasum declinaret, pedibus ligatus, in lignea pertica suspensus, cultro jugulatus, mactatus & excoriatus fuit, cujus cruore postes domorum in forma crucis intingebantur, per agni vero medium corpus quoddam veru ligneum & oblongum infigebatur, pedibusque prioribus bacilli in modum crucis, tanquam lignum transversum immittebantur, sic lento igne tostus cum panibus azimis & lactucis agrestibus festinanter comeditur.

En Lector prudens, hic insignem typum Christi JESU, tanquam mansuetissimi & immaculati agni pro nobis ad lanienam & victimam raptati, in torrente Cedron abluti, sero spineo coronati, & tandem in veru ligneo crucis igne divini amoris assati. Juvat hic audire S. Justinum Martyrem; Quod agnus, inquit, Paschalis assari jubetur, crucifigendum Christum significabat, siquidem agnus in crucis formam expansus assabatur, alter enim rectus paxillus ab imo usque ad caput tr. jiciebatur, alter vero transversus per occiput, cui armi agni alligebantur &c.

S. Justin. M.
in sermone
cum Triphoc-
ne Heb. æo.

3. Et hoc est, ad quod alludit Christus Dominus, cum ante passionem suam duos discipulos, Petrum scilicet & Joannem in civitatem Solymæam ablegavit, ut secundum legem Mosaicam sibi & cæteris discipulis suis pararent pascha, & ante adventum suum agnum anniculum & paschalem, per quem toties præfigurabatur, secundum præscriptum ritum mactarent, & ad esum disponerent: *Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt pascha. Quem typicum agnum in veru assatum & mensæ appositum, ubi pientissimus orbis Redemptor Christus conspicatus est, quis dicet, quo affectu & animi teneritudine eum Patri suo æterno, & in hoc typo se ipsum, tanquam agnum immaculatum & incontaminatum crastinâ luce pro totius mundi salute in cruce immolandum obtulerit? In eo, subintrat hic Cornelius à Lapide, quasi in viva sui imagine intuebatur suam crucifixionem, in qua ipse simili modo distendendus, clavis affigendus, & igne tum doloris, tum amoris postero die assandus erat in cruce.*

Matth. 26.
19.

Cornel. hic.

4. Nec solum per hanc cruentam agni paschalis victimam voluit æternus Pater præsignari dilectissimum Filium suum JESUM suo tempore pro mundi salute cruci affigendum, sed & quotidie simile sacrificium manè & vespere per similem agnum incontaminatum sibi voluit in lege præsentari; unde libro Exodi præcepit, ut singulis diebus sibi in altari, tanquam perpetuum sacrificium agnus quidam immaculatus manè in ortu solis, & vespere in ejusdem occasu pro publica & communi populi salute immolaretur: *Hoc est, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum manè & al-*

Exod. 29. 38

verum

rum vespere. Et hoc erat, de quo Psalterius regius toties in psalmis suis mentionem fecerat, Sacrificium Matutinum & Vespertinum, quod publicis Hebraici populi immolabatur & offerebatur impensis, ubi agnus ille offerendus prius in piscina probatica ab omni ablutus erat immunditia, dein à Sacerdote jugulatus, ab intestinis & sanguine mundatus, ac denique in veru ligneo assatus, DEO vitæ necisque Domino in gratissimum oblatum est holocaustum. Intèrim populus circumstantes preces ingeminabat in cœlum, ut hoc sacrificium gratum & acceptabile fieret apud DEUM.

Observa hic iterum, Lector prudens, ex hac figura figuratum & ex umbra veritatem; Et quem, obsecro, hic agnus legalis alium præsignavit, quàm Christum JESUM & hunc crucifixum? Qui summo manè, hoc est, jam ab ipsa mundi origine pro peccatis veterum Patrum immolatus, & demum in mundi & vitæ vespere in ara crucis oblatum est? Unde rectè Propheta Apocalypticus: *Qui occisus est ab origine mundi*, non in se videlicet, sed in suis figuris ac typis, quia jam ab æterno à DEO erat decretus, præscitus & prædestinatus, ut Mundum suo tempore in cruce redimeret. Audi hic S. Paulinum: *Ab initio sœ-* S. Paulinus
culorum, inquit, Christus in suis patitur & triumphat: In Abel occisus est à Ep 27 ad
fratre: In Noë irrisus à filio: In Abraham peregrinatus; In Isaac oblatum: In Aprium.
Jacob samulatus: In Joseph venditus: In Moyse expositus & fugatus: In Pro-
phetis lapidatus & sectus: In Apostolis terrâ marique jactatus: In Martyribus
toties & variè occisus &c.

5. Cæterum Agnus typus ac symbolum est variarum virtutum, videlicet summæ mansuetudinis & humilitatis, perfectæ innocentiae & patientiæ, qui non habet in ore suo redargutionem; Insuper vili contentus est pascuo, matrem ex millibus in voce agnoscit; surgens vel decumbens se prius in genua demittit, quasi DEO Creatori ac Sospitatori suo pro acceptis beneficiis gratias acturus. Et quod haud immeritò obstupefcendum, illud est, quòd agnus in corpore suo quinque Christi Vulnerum stigmata & cicatrices gerat, videlicet quatuor in pedibus, & unam rubram in pectore suo. Ita doctissimus Fran- Quaresm.
ciscus Quaresmius & alii. To. 1. cap. 3.
sect. 1.

En anima Christiana; hic pro reflexione morali tibi singularis meditandi modus præscribitur, quas virtutes in agno, Christi typo, mirari & imitari debeas. Discè mansuetudinem, humilitatem, patientiam, gratitudinem in DEUM & hominem &c. &c.

6. Finem huic Considerationi imponat Agnus ille Apocalypticus, quem S. Joannes quondam in medio quatuor animalium, videlicet: Aquilæ, leonis, bovis & hominis, & in medio 24. Seniorum stan-

Cinther Unus pro omnibus.

H

tem

Apoc. 5. 6.

tem & occisum vidit: *Et vidi: Et ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio Seniorum Agnum stantem tanquam occisum.* Ad quid, quæso, S. Joannes hic Agnum Dei occisum & simul stantem inducit? Si Agnus occisus est, quomodo stabat in cælo?


Andr. Cæf. apud Cornel. hic.

R. Andreas Cæsar. *Quòd hic Agnus similis occiso videbatur, quia resurgens servavit quinque vulnerum, quibus occisus est, cicatrices.* Quòd autem stans observatus fuerit, resurrectionem ad vitam immortalem indicat, & prout Ansbertus habet: *ad opitulandum;* unde rectè D. Augustinus:

S. August. in quest. novi testamenti quest. 83.

Christus inquit, stat coram throno Dei, quasi Advocatus noster, pro nobis interpellans; Et idèd cum S. Stephanus lapidatus est, stans à dextris virtutis Dei observatus est, quia sedere judicantis, stare autem adjuvantis est.

Hæc cum ita sint, quòd Agnus in Calvario quondam monte occisus etiamnum in cælo apud Patrem suum pro nobis interpellat, ac SS. Vulnera sua pro nobis offerat, quæ sunt medium & remedium efficacissimum ad impetrandum à DEO, quidquid æternæ nostræ salutis erit proficuum; quid ergo agimus, quòd extra hæc SS. Vulnera aliquid aliud in his terris quæramus? Dicamus proinde quotidie cum S. Franc. Xaverio: *Domine Jesu Christe, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera, qua tibi in cruce nostri amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*



CONSIDERATIO XVI.

SS. Crux Christi columna nubis & ignis,
ducens nos ad cœlestem patriam.

Non defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem. Exod. 13. 22.

I.

PLura quondam ac quàm maxima DEUS T. O. M. populo suo electo præstitit beneficia, dum eos per mare rubrum sicco pede traduxit, per quadraginta annos in deserto arido & sterili cibo cœlesti, puta manna, aluit, aqua è durissima petra scaturiente potavit, vestimenta eorum incorrupta servavit, imò fecit,